mum, ne tollas me in protractione irae tuae, cum
perdes impios, ne me precor eodem exitio involvas.
Etenim omnes, qui te exspectant, non pudefient,
qui sperant in te, non convellentur, nec nutabunt.
Magistri familiares mei, uxor cum liberis te sa-
lutant cum Nicolao Camper ceterisque adolescentibus.
Vale perquam dilecte Varlemanne. Dic ex me salu-
tem praestantiss. viris D. Isac. Lu[illegible]manno Cos.
et D. Joh. Camper Sen. Nonis Julii 1577. Bremae
in schola.

Johannes Molang.

Joh. Hillebrant paedag. puerorum
Doct. Henr: Molleri Hamburgae

Pax Christi.

Quam gaudes Hillebrande istic te tanto viro com-
mendatum fuisse: tam mihi jucundum fuerit dili-
gentiam et fidem meo de te testimonio luculenter
respondere. Ardua quaedam res est, et perpauco-
rum juvenum tam teneros tamque delicatos pue-
los in oculis et quasi in gremio parentum sic in-
formare, ut simul et laudem ex institutione inve-
nias, et tibi amicos pares, nam si acrius contendas,
incurres in offensam, sin remittas indulgentia ae-
tatem corrumpes. Quamobrem magna tibi opus
est moderatione et prudentia, quae perquam ra-
rius est in juvenili pectore; Verum igitur te
praebeas oportet, nihil est tam arduum, quod huma-
ni ingenii industria non evadat, si advigilet,
si neget ipsa sibi, si omnes nervos intendat. Gau-
des te familiariter conjunctum D. D. clarissimo,
cujus consuetudine majores ipse facturus sis progres-
sus, cujus doctrinae fama percelebris, praeterquam
quod te auget scientia: conducit etiam tibi
in posterum ad honesti nominis celebritatem,
Facillime (ut ait M. Tullius) et in optimam
partem cognoscuntur adolescentes, qui se ad cla-

283/

[= Mscr. a. 7: Nr. 292]

—.—

[Das Original davon ist im Mscr. a. 10 = Nr. 86]

ros et ſapientes viros contulerunt. Sed
meminiſſe te velim, quod olim me interpre-
te ab Ariſtotele didiciſti, nempe quod μία
χελιδὼν ἔαρ οὐ ποιεῖ, οὐδὲ μία ἡμέρα non u-
nus ego te ſed complurium annorum ſtudio
velim in iſthac familia omnino rara, donec
linguarum cognitione et tandem viro quem
ſimilibus erudias, quem imitandum tibi pro-
poſuiſti. Hac pertinaci patientia opus eſt
Hillebrande, ſi vis emergere. Quod ſi ceperis
mutata ſubinde ſententia ut aliis ad alias trans-
ire, nihil abs te boni exſpectabo in poſterum.
Vehementer erras, ſi credis eſſe nunc in Ger-
mania ſcholam, ubi in doctrina de Deo et rebus
divinis majores progreſſus facere poſſis. Si ſa-
pis, ubi iſtius eximii Theologi latere non diſce-
des, donec ab eo didiceris longe aliam ratio-
nem et viam conficiendi verſus Theologici, quam
illa fuit, quae Satyrae factis verſibus comprehendi-
tur, pro qua tibi gratias ago. Aliâ tibi ſub i-
ſto architecto fundamenta jacienda ſunt, non
ut aut rem aut inanem gloriam repente reperi-
as: ſed ut praeeunte Spiritu Chriſti ſolide
et ad ſalutem eruditus fias. Reſpice tuorum equa-
lium exempla ut cautior fias. Berengi Aimond.
Holderſenaliique nonnulli cum in hac ſchola
rudimentis Chriſtianae pietatis à nobis
inficerentur, quàm magnificae ſpei adoleſcen-
tes in herba (quod aiunt) fuere, nihil habuit
ſchola ſtudioſius, nihil admirabilius, poſtquam
in Academiam ventum eſt, acceſſit aedifica-
tio Witebergae inter candidatos Theologiae
prima praemia tulerunt. In patriam rever-
ſi, ubi eorundem fuerat excuſſae corroboratque
inſtitutionis teſtimonium, ut ei tanta et

honesta . . . . loco essent, resipuerunt retrò, confessi non ea, quae à bonis didicerant, sed quae . . . . . . nescio cui Hamelmanno eiusque coniuratis grata esse. His artibus non bonis bona atque opima beneficia consequuti sunt et pro maleficiis haberi debent. Tu vide, ut in doctrina coelesti fundamentum ponas, quod stabile sit ad perpetuitatem. Quod quidem non erit procul quaerendum, quum domi habeas, qui tuum pectus (dum te docilem praestes) rerum aeternarum cognitione complebit. Vale juvenis dilecte et Doctorem istum tuum Clariss. virum meis verbis saluta quàm officiosissimè, scripturam me ipsi ubi vacus fuero argumentum. Bremae 6. idus Julii 1577.

Johannes Molang.

Cornelio Adriani Timanni f.

Pax Christi.

Felix es, Corneli dilecte, qui tam prudentem habeas patrem, qui a tam bene consulit studiis tuis, qui tibi perpetuus hortator est ad diligentiam discendi, et ad timorem Dei. Si talem monitorem domi habuisset Reinerus Puew. non defecisset Hamburgi otiosus tam multos menses nullam habens rationem preciosissimi temporis, nihilque curans sua studia, quae tam feliciter incepta erant à nobis cum magna fide et diligentia. Non cogitant plerique parentes, quantum ornamentum ipsis allaturi sint filii piè et fideliter instituti, neque ipsi adolescentes queunt intelligere quam utile instrumentum vitae sit vel mediocris eruditio, quam preciosum Dei donum sit tempus juventutis, quod idoneum est ad literas discendas et ad percipiendam veram pietatem. Denique quàm alata sit aetas, quàm fugax juventa, quae ubi avolarit semel, redit nunquam. Sed quia haec stul,

284) [= Arcr. a. 17 = Nr. 293]